



**R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis
SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm**

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

Eadem Dom. Lect. 23. bipar. 1. pars explicat rationes quas ponit Dominus ad tollendam anxiam sollicitudinem, 2. explicat conclusionem Domini, qua nos præcipit quærere primum regnum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56372)

Opifex non det nimis corpus operi.

Luc. 22.

Dominus: Nolite solliciti esse, sollicitudine scilicet & curā ita cor pregravante pro vita huius seculi; ut alterius vite memoriam vix possitis habere, & anime curam gerere, ac de futuro seculo & iudicio cogitare. Hoc iterum est, quod Dominus admouuit: Attendite vobis ne graventur corda vestra curis huius vite, & superueniat in vos repentina illa dies. Causam oblivionis Dei, & iudicii eius, causamque neglecte salutis illam censet, quod graventur corda curis huius vite. Ideo subiicit de die iudicii. Tanquam loquens enim superueniat in omnes qui sedent super faciem omnis terra. Quid est federe super faciem terrae? Terrenis est rebus inhæere, & his quasi affixum esse corde nimiam illarum sollicitudine. Sic idem est federe super faciem terrae, & gravari corda curis huius vite: quia est deorsum cor deprimere ad terram continuā sollicitudine terrenorum: Tales certe non facili recordantur regem celestium & iudiciorum Dei, ideoque repente contingit illos tanquam laqueos ab illis iudiciis capi cum salutis dispendio.

EADEM DOMINICA.

Mat. 23. Nolite solliciti esse quid manducetis, &c. Quarite primum regnum Dei, &c. Mat. 6.

PAR I. Deratio-nibus Do-minis cen-tris sollici-tudines anxias.

1. Cor. 12. 2. Tim. 3.

Rom. 8. Dicit. 4.

1. Cor. 12. Ephe. 4.

Mala sol-llicitudo arduis modis con-siderari potest.

Sollicitudo quandoque laudabilis est, & in præcepto, quandoque vituperabilis est, & annexa malo. Sic laudabilis est sollicitudo regiminis, quā Pater filiis, Dominus servis, Rex populo, Princeps subditis, Prælati Ecclesie, Pastor gregi suo debet providere. Ideo dicit Apostolus: Instans in quaestiana sollicitudo Ecclesiarum. Et generaliter de Superioribus erga inferiores dicit: Qui præst in sollicitudine. Laudabilis quoque est sollicitudo quædam erga Deum, erga seipsum, erga proximum. Erga Deum quidem ad perficiendum eius mandata, ad proficiendum in eius obsequio: Sollicitudine non pigri, spiritus ferventes, Domino servientes. Erga seipsum verò, ad custodiendum se à malo, & ab omni specie & occasione mali. De hac dicitur: Custodi te metipsum sollicitè, & animam tuam, ne obliviscaris verborum que videram oculis tuis, & ne excidam de corde tuo cunctis diebus vite tue. Erga proximum denique, ad spirituale vel temporale auxilium ei impendendum, & ad charitatem temper fovendam, de qua sollicitudine Apostolus dicit: Pro invicem solliciti sunt membra. Et: solliciti servare unitatem in vinculo pacis. Vituperabilis, & mala sollicitudo, tribus modis considerari potest, secundum interpretationem S. Thomæ Aquinatis in hunc locum Matthei. Sic enim loquitur: Sollicitudo dicit providentiam cum studio. Studium autem est vehementis applicatio animi. In ista autem vehementi applicatione potest esse peccatum. Quando alicui rei veluti homo seipsum totum impendit, quo quidem modo solliciti esse prohibemur. Et ideo

legitur: Expectatio sollicitorum peribit. 2. Intendit etiam aliquando mens nostra ad superflua acquirenda, quod item prohibetur: Dixi ergo in corde Eccles. 2. meo; Vadam & affluam divitiis. Quod si temporalibus etiam conquirendis mens addicta fuerit, adeo ut spiritualia derelinquat, peccat. 3. Quidam quoque solliciti sunt cum quodam timore & desperatione, quod timeant ne quid illis desit; & quantum hac in re de Dei providentia, & misericordia dubitant, ideo istis verbis Dominus hos reprimit. Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, aut corpus vestro quid induamini, hæc S. Thomas de Aquino. Ut igitur hanc sollicitudinem vituperabilem tollat Dominus, etiam in speciali varias adducit rationes, in quibus elucet divina erga nos providentia & cura, cui sollicitudo nostra anxia displicet.

Prima ratio continetur his verbis: Nonne anima est plusquam esca, & corpus plusquam vestimen-tum? Est argumentum quod vocant Philosophi à majori ad minus: Si Deus dedit animam & corpus, quæ longè majora sunt, quàm veris & cibus, nonne hæc minor dabit, & majora ista conservabit? Vnde S. August. lib. 4. de serm. in monte c. 22. ait: Sic Dominus admonet, ut meminerimus multò amplius eum dedisse, quando nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum & que tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. Similiter dicit S. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 12. hæc homini verba interpretans: Nihil inquit, mortalium ad faciendam fidem omnia credentibus à Deo posse conferri, quam quod aeris ille spiritus, vitale collegium anime corporisque contubernio foederatum, sine nostro labore perpetuat, nec fatalis deficit usus alimenti, nisi cum venerit dies suprema moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, & vigore anime corpus animetur, absurdum est, ut victus nobis copiam de futuram poterimus, qui vivendi jugem substantiam consequamur, hæc ille. Dicitur, o homo, quis corpus tibi dedit? quis animam tuo infudit corpori? quis id promeruit? quis pro ea re sollicitus fuit. Nonne ex sola sua bonitate id fecit Dominus, nullius ad id adductus sollicitudine, aut meritis? Si ergo animam tuam tibi dedit vitam sui imaginem, vestitamque corpore isto, teea de re non sollicito, nec petente quidem, quomodo eicam non dabit, si ab eo eam petieris? Vterius: Si animæ panem celestem donat & vestem gratiæ, cur quod minus est negabit corpori, panem scilicet terrenum, vestemque protegentem? Si gloriæ immensa donat tibi in obsequio eius perseveranti promittit, an poterit denegare temporalia? Si ut fidelis majora accepisti, & excellentiora speras, cur minorā ab eo accipere distidis, cur anxius si fueris ei fidelis? Hoc ergo bene pondera. Anima est plusquam esca.

Sed prohi dolor! quum parum hoc considerant, Propter qui propter eam Deum offendunt, & animam eam multo per

si perdunt animam.

perdunt? An non gula additus propter escam perdit animam? Vtque similis est Esau profano, qui propter cibum primogenita vendidit, & accepto panis & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset. Sic gulosus gratiam Dei, in qua consistit ius primogenituræ celestis contemnit propter edulium & poculum? An non is qui furto additus est vel sectatur iniustum lucrum ad alimentum familia, propter escam perdit animam? An non & inops puella fornicationi se exponens ad fugandam paupertatem propter escam perdit animam. O infelicitatem & imprudentiam! O cæcitatem & diffidentiam! Audi S. Nazianzenum ad Virginem. *Vitæ gratia nihil unquam turpe sustinet, nam si crederis, nunquam te vasculum olei desituit. Corvum se pascit, ut Eliam in deserto. Nosti quomodo Thecla ex igne & à feris sit erepta, & Paulus ille magnus esuriens, ut & tu virgo ad Deum solum respicere disceres, qui tot millia in deserto pascere noverit.* An non patrimonii amor cæcus quosdam facit abnegare fidem, ne incurant paupertatem? Hi quoque perdunt animam propter escam. An non conflant nonnulli non solum lites sed etiam homicidia propter vilem hereditatem? Ergo & hi perdunt animam propter escam; plusque est illis esca quam anima. Sic non considerant dictum Domini:

2. Ratio contra animalia fellicium animam.

Secunda ratio ducitur à providentia quam habet Deus erga animalia pascendo illajimmo erga inanimata vestiendo illa. *Respicite inquit Dominus volatilia cæli, non serunt, neque metunt, & Pater vester celestis pascit illa.* Nonne vos magis plures estis illis? Nonne vos precellitis ea? *Considerate lilia agris quomodo crescunt non laborant, neque metunt, & quomodo Deus vestit illa.* An qui providet brutis, providet & plantis, non providebit hominibus ad imaginem suam creatis? Nonne ille Pater est vester celestis, qui Spiritum participare vos voluit adoptionis, necita animalium aut plantarum Pater dici potest? Nonne vel solum nomen Patris in fiduciam animos vestros engere deberet, & anxietatem eximere? Attende quomodo hic Christus hominem creaturam in omnium Dominum & Præsidentem, ad creaturas remittit, ut ab illis edocetur. Quia per peccatum etiam irrationabilibus quodammodo insipientior factus est, ad illa erudiendus remittitur. *Interroga jumenta, & docubunt te, inquit Job. Vade ad formicam, & piger, inquit Sapiens. Vade ad apem, inquit ibi interpretes Septuaginta.*

Job. 22. Prov. 6.

Lev. 22.

Corvorum educatio.

Job. 40.

Job. 38.

Considerate corvos, quibus non est cellarium, neque horreum, inquit Dominus & Deus pascit illos. Specialiter horum pullos Deus educare dicitur rore cæli. A parentibus deseruntur, quia sine plumis nigris sunt mox nati potiusque albicantibus pilis cooperti cernuntur, ideo ergo existimant non esse fetus suos, sed adulteros. Hinc de Deo dicitur. *Qui non escam pulli corvorum invocantibus enim. Item. Quis preparat corvo escam suam, dum pulli clamant ad Deum, & gurgitet, ut quod dicitur.*

habent cibum? Aluntur enim pulli sic à matribus neglecti tanquam spurii, vel rore cæli, vel bestiolis, quales sunt vermiculi, aut muscæ circum volitantes. Hic autem generaliter Dominus nos remittit ad volatilia cæli, quæ neque ferunt, neque metunt.

Sed cur ad volatilia? Audi S. Amb. Magnum sanè & aptum quod fide sequamur exemplum. Nam si volatilibus cæli, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate proventus est, indicientem tamen divina providentia tribuit alimoniam, possumus causam inopie nostræ avaritiam judicare. Etenim illis idcirco inelaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communis ad escam datos speciali quodam nesciunt vendicare dominari, nos communia amissimus, dum propria vendicamus. Aves cæli speciale sibi nihil vendicant, & ideo indigere pabulis nesciunt, quia non norunt alius invidere. Hæc S. Amb. in Luc. lib. 7. cap. 12. Adde quod cibus altilium magis sparsus est & incertus, quam aliorum animalium, quapropter etiam eis natura dedit alas ad volandum, & pedes ad currendum, & quærendum veloci motu. Cum illa igitur sint sine sollicitudine, quanto magis nos? Nulla etiam animalia minus cibi contentant quam volatilia, nam reptilia, vel gressibilia, vel etiam natabilia nonnulla, antra sua habent in quibus resident. Denique volatilibus recte conferuntur vita justorum propter volatus altitudinem: agunt enim ut plurimum in sublimi, nec in terra sedem figunt, ac tanquam modo descendunt cum impellunt necessitas. Simili modo debent anime pie ut laqueos vident, & ætia, alas spiritus in sublime efferre, nec in terra hæere, nisi quantum vitæ corporalis cogit necessitas. Sic etiam notant nonnulli Deum a vibus, & piscibus benedixisse, animalibus autem in terra habitantibus non benedixisse. Volare igitur in altum, vel enatare necesse est, si benedictionis volumus esse confortes: oportet habere pennas ad laqueum venantium evadendum, vel pinnas ad evadendum rete piscantium. Ideo etiam ad volatilia nos remittit, quia docent nos laudare Deum. Ab his vinci in laude Dei fatebatur S. Franciscus. Quadam die iter agens dixit Fratri Leoni ut cibum apponeret ad edendum, cum verò cibum benediceret, incepit philomela ad eum suaviter canere ut gaudio perfusus diceret Fratri: *Ecce in vitas nos volentia ad laudem Dei, canamus cum ea.* Excipiente se F. Leone ob vocis raucedinem, Psalmos cecinit Franciscus in vesperum, alternatim canente Philomela, quæ hstebat vocem dum caneret Franciscus, resumebat suum cantum dum sisteret. Tandemque factus est F. Leoni Franciscus se victum ab avicula in laude Dei. Ita Chron. Min. gallica l. 2. c. 19.

Tertia ratio verbis continetur istis. *Qui vestram cogitans pascit adjicere ad satietatem suam cibum fellicium.* Vult significare Dominus, quod sicut sollicitudine dicitur cogitatione, & anxia sollicitudine nemo potest saturam suam majorem efficere, nisi Deus adjiciat:

Cuius hinc Deum ad volatilia remittit.

2.

3.

Gen. 30.

De col. 2. Luc. 12. 12. 13. 14.

Job.

Job.

adiciat aliquid stature: ita etiam hominem, quamlibet sollicitudinem impendat, non posse sibi cibum comparare, nisi illi Deus suppediet. Dicitur ergo homo huc illuc, festinet, consilium omne inerat, ut acquirat & congreget; nisi eum Deo inerat consilium, & arque ipse ferat Deus auxilium, irritus est omnis ejus conatus, cura, sollicitudo, anxietas. Et sicut ab ejus providentia dependet statura corporis, & statur hominis naturalis, ita etiam statur moralis qui consistit in honore, opibus, & aliis fortunæ donis. Hinc fit ut cum omni sollicitudine quidam perleverent pauperes, cum pauca sollicitudine, alii effluantur honorati & divites. Quod ipsum expressit Sapiens. *Est homo laborans & festinans, & dolens impius. & tamen magis non abundans, est homo marcius, & egenus recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate. & oculus Dei respexit illum in bono, & exaltavit caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & laudaverunt Deum.* Hoc est, reperitur non infrequenter qui festinet divitias parare, dolens quod dives non fit, & ideo implicat se cum omni diligentia, & sollicitudine variis negotiis ad acquirendum; sed frustraneus est conatus ejus. Cernitur & alter quispiam languidus & torpidus, qui eget restauratione familie & annonæ, qui deficit vinibus & robore: & Deus respicit illum, & benedicit ejus familie omnibus admirantibus. *Nempe paupertas, & honestas sunt à Domino, sive inopia & divitiae.*

Propterea de Jacob dicitur. *Honestavit eum Deus in laboribus, & complevit labores illos, in fraude circumventionium illum assuit illi, & honestum fecit illum.* Quasi dicat: Locupletavit eum Deus per æumnas & duros labores, qui enarrantur in Genesi. Et labores ejus impascendis gregibus fecerit sui Laban factu multiplici, compensavit, complevit, benedixit. Et non obstantibus omnibus dolis per avartitiam opprimentium eum, & per fraudes prævalente ei conanti, dives effectus est, Deo sic disponente & eum honestante. O quoties ei mutata est merces à Laban! Sed semper cessit ejus adinventio in emolumentum Jacob, ita ut pauper antea Jacob postegerit postmodum Deo gratias agens, & copiosa cum familia regrediens dicere: *In baculo meo transivi Iordanem istum, & nunc regredior cum duobus turmis.* Hoc ergo contigit Jacob Dei providentia ejus laboribus benedicente. Aliis è contra accidit, ut scilicet a volent divitiis ab eis, dum videntur man eas apprehendere. Vnde & quosdam monet Dominus: *Posite corda vestra super vias vestras, seminastis multum, & in multis parum; & qui mercedis congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Verè ita est, divitiis habent alas, ut à nonnullis avolent: multi quoque eas congregare volentes, videntur in sacculum pertusum eas projicere & perdere. Sic frustrantur spe, innixi suæ & non Dei providentiæ. *Nisi Dominus edificaverit domum, inquit Psaltes: in vanum laborant qui edificant eam.* Dominum edificare, est familiam honoratam stabilire,

& id ad Dominum spectat, sicut & jam elevatam ad honores, dejicere, cum ei libuerit. Sic dicitur: *Arrogantia decipit te, & superbia cordis tui. Cum exaltaveris quasi aquila nidum suum, inde te detrahant.*

Porro, quod de statura corporis naturalis, & de statur hominis morali diximus, etiam de statur spirituali verum est. Non potest homo adicere cubitum unum sua sola sollicitudine, nec per illam solam accipere augmentum gratiæ & virtutis: nec hac de re debet esse immodice sollicitus, aut nimium anxius. Quapropter cum præstiterit quod in se est, ut divinæ cooperetur gratiæ, reliquum ejus relinquat providentiæ paternæ, qui distribuit dona sua prout vult, & quando vult, & quibus vult, staturamque gratiæ, & gloriæ talem dat unicuique qualem æterna sua constituit præordinatione. Sic licet quilibet debeat majoris semper perfectionis desiderio sese excitare; non tamen se turbare debet ut inquietare si eam pro voto suo non affequantur, post mortalem diligentiam adhibitam. Patris est celestis providere, nostrum autem est, nos totos quales ejus voluntati committere ejusque pietati commendare. Sic agendum est in omnibus negotiis nostris, tam temporalibus, quam spiritualibus, tam in cura nostrâ, quam aliorum curæ nostræ commissorum.

S. Franciscus initio Ordinis sui mirè angebatur, lacrymisque, & tristitia pene conficiebatur, dum cerneret aliquos vel Ordinem deserentes, vel scandalum in eo concitantes. Cui quodam die Dominus: *Quid turbaris Francisce aut quid angaris cum tuorum quispiam deficit, vel scandalum concitat? An fortè existimas gregis tui te ita rectorem, ut non me intelligas illum esse superiorem? Quis plantavit, aut quis præter me homines ad penitentiam vocat, & quis gratiam suppeditat? Ego eos perduxo ego retinebo, & servabo, ego illis cadentibus alios erigam.* Quapropter præcipio ne in posterum te discerites, sed cias hæc à me familiam diligi; & si unus ad vomitum redeat, scias me in ejus locum alterum excitaturum qui illius coronam accipiat, quod si non dandum natus fuerit, efficiam ut nascatur, & si tres tantum in ea permanserint, eos nunquam deseram; semper hæc erit familia mea. Ita Dominus Francisco nimium anxio, cum statur Ordinis sui non posset vel cubitum unum, vel firmitatem, & stabilitatem adicere. Hoc sibi vult pater celestis reservare.

Ipsum nimirum est volatilia cæli pascere, illis alas dare, illas congregare. Hæc sunt animæ contemplationi supernorum deditæ; intellectu, & voluntate in cælum & Deum volantes, in congregationes sanctas se redigentes, quibus de necessariis animæ & corpori providet Deus. Ipsum quoque est, illia (quæ neque laborant ut vin pro victu, nec nent pro veste texenda ut mulieres) plantare, incrementum illis dare, gloriose illa vestire, ita ut superent omnem gloriam Salomonis, Et reverè

Releca.
videm.
Sap. 10.
Gen. 29.
30. 31.
Dei la-
cob per æ-
umnas
locuplet-
avit.
Gen. 32.
Agai. 1.
Psalm. 128.

inquit S. Hieronymus, quia Regum purpura, qua tinctura textricem potest floribus comparari? Quid ista vobis ut, rosa? Quid ista candida ut liliam? Vnde purpuram nullo superari murice, neque magis quam sermone iudicium est. Nulla ergo opes, nulla potentia Regum potest illum liliam vel folium creare, quantumlibet totum inverteat mundum; nec ulla arte aut ingenio potest ornatum lili colorumque ejus perfectionem adaequare. Ergo nihil est mundi potentia, nihil est ejus pompa & gloria, quam flos & liliam superat, & humilis viola. Mystico autem intellectu dicamus quod Dei sit lilia plantare in horto suo, eis radicem dare, eis humorem, & incrementum tribuere, eis gloriam vestis impertiri superantem gloriam Salomonis. Hæc lilia animæ sunt candida & pura, animæ virginæ, in horto Domini consistit, rore celesti imbutæ, in silentio crescentes, quarum admirabilis vestis interior celestis gratia, omnem gloriam superat Salomonis; illustrior verò erit postmodum illis inter Angelos in Paradiso celestis vestis æternæ gloriæ.

Copus totius Evangelii hujus, *Quarite primum Regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia adiicientur vobis.* Matt. 6. ut scilicet eliminata anxietate sollicitudine temporalium, quaramus celestia & æterna. Cum enim creati sumus non ut edamus, bibamus, vestiamur, sed ut Deo obsequiamur, & bonis æternis petiamur; illud primum querendum, ad id tendendum principaliter, & magno quidem cordis nostri desiderio, si que non deest quidpiam aliud quod necessarium nobis fuerit. Porro hujus conclusionis à Domino ex priori ejus discursu elicitæ singula verba suam habent energiam & emphasim, suumque pondus.

Primo, dum dicit, *Quarite*, indicat diligentiam, attentio-rem, vigilantiam adhibendam. Hoc enim vox illa importat. *Quarite*, quicumque querit; solertiam & perspicaciam sibi associat ad repudiandum quod querit. Errant igitur qui desides & inertes permanent in his quæ salutis sunt, quasi dormientibus, & non vigilantibus regnum Dei se deferendum. Licet Deus quandoque etiam non querentibus salutem offerat, ordinare tamen vult illam nos querere cum sollicitudine & labore. Regnum erat cum facilitate affectum homo, si in originali justitia perstitisset, quia ad illud creatus erat, & jus proximum habet: ac per peccatum à regno illo elongatus est, & modo requirere illud cogitur non sine cura & labore. Nunc regnum Dei thesaurus est absconditus in agro, pro quo requirendo diligentia adhibenda est, fodiendum est, laborandum est. Quis enim thesaurum reperiet sine sollicitudine perspicaci, aut sine cura? Hinc & Apostolus ostendens quomodo regnum illud querendum sit, monet serid & graviter graviterque: *Satagite magis ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; sic enim abundanter ministrabit vobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris Iesu Christi.* Quasi dicat: Studete, & date operam diligentem, ut per bona opera tamquam media electi qui possitis certo gloriam ad quam vocati & electi estis; per illa enim invenietis introitum in regnum; per illa vobis illud querendum est. Conformiter ergo hic dicit Dominus, *Quarite*, cum diligentia scilicet & servere; non tamen cum angustia & anxietate, nec cum diffidentia & scrupulositate; sed potius, ut dicit Sapiens: *Sonite de Domino in Simplicitate, & in simplicitate cordis quarite illum;* sic querite & ejus regnum. Illi non videntur sententia de Domino in bonitate, qui nimium se, & conscientiam suam exercent angustibus & scrupulis, sicque cum Deo agunt quasi foret ipse crudelis; cum sufficit sincero corde illi servire, & hoc est in simplicitate cordis illum querere, & fiduciam in ejus bonitate ponere.

Secundo, dum dicit Dominus, *Quarite primum* illa vox, *primum*, attendenda est. Hæc significat regnum Dei querendum esse ante omnia, quod sit sive principaliter & præcipua cura ad illud referendum.

a. Ratio eorum nimirum sollicitudinem.

Quarta ratio quam affert Dominus ad nimiram sollicitudinem de victu, & vestitu à nobis avertendam, continetur illis verbis: *Hæc omnia gentes inquirunt.* Quasi dicat: Hæc est sollicitudo Ethnicorum, & infidelium querere terrena, quia non expectant, celestia. Quia nullam habent partem in celo, non mirum quod illam in terra sollicitè querant. Qui non habent in terra promissionis hereditatem, quid mirum si descendunt in Ægyptum? Qui fastidiunt manna, non mirum si ad capras respiciant, & alia. Vos autem, o Christiani, quibus Deus in celo paravit mensam & edulium, quibus opes ibi paravit & thesaurum, deponite horum inferiorum sollicitudinem anxiam, & ibi cor figite ubi Pater vester celestis est, qui de omnibus necessariis potest providere; videte ne ei injuri sitis diffidentia & sollicitudine. Hoc etiam vult Dominus insinuare (interprete S. Chrydostomo) dicens quod hæc gentes inquirant, quia in rebus humanis fortunam esse credunt; unde nec providentiæ, nec judicio Dei vitam suam gubernari existimant, sed incerto eventui. Ideo timent, & desperant quasi qui neminem habeant gubernantem. Qui autem credit judicio Dei gubernari, non incerto duci eventui, eam quidem suam in manu Dei committit, sciens quia neminem sine judicio, & voluntate Dei famem premit aut nuditas. Cogitat autem de bono & malo, sciens quia nisi sollicitus fuerit nec malum fugiet, nec bonum apprehendet. Sic ergo dicat omnis Christianus ex corde Deum: *Domine regis me, & nihil mihi deerit.* Et rursus illud in paupertate ultrapet: *Ego autem mendicium sum & pauper, Domine sollicitus est me; non igitur necitum est ut ego anxius & discrucier sim sollicitudine, ne illi videar diffidete, & ejus sollicitudini injurius esse.*

Psal. 22. Psal. 39.

a. Pet. 2.

Sap. 10.

Vox. grimum. Hæc significat regnum Dei querendum esse ante omnia, quod sit sive principaliter & præcipua cura ad illud referendum.

do omnem nostram intentionem, & omnia nostra. Regnum enim Dei, cuiusque fructio supremum bonum nostrum est, & ideo appetendum, & ubi finis constituendus, propter quem omnia faciamus, quae cumque facimus: Hinc S. Aug. in Soliloq. In Domine summum bonum est, quod nemo recte quisque, & non invenit. Omnis autem recte quisque, quem tu recte querere docuisti. Recte autem queritur cum principaliter queritur. Principaliter autem querendum est quoniam ad ipsum participandum conditus sumus. Multi interim homines velut bruta, ad quod fiat creati, ignorant. Putant enim ad hoc se vivere, ut voluptatibus corporis ad libitum perfruantur, in vanis gaudeant, ut perituras divitias coacciverint, ut in honoribus saeculi exultent, ut primatus sibi vendicent, ut commensationibus & luxuriis vacent, dicentes: Fruamur bonis quae sunt. Haec est pars & sortis nostra. Sed nesciunt, neque intellexerunt, & erraverunt in itinere. Et vitam civitatis habitaculi non invenierunt. Non enim ad possidendum haec quae ipsi aviditate exitiales laxata cupiditatum habentur quaerunt, à Deo creati sunt, sed ad ea quae ignorant, aut certe contempnunt bona aeterna. Alii inter homines sperant quidem regnum Dei, & credunt se ad illud creatos, sed non quaerunt illud ante omnia, nec praecipua cura, quia magis solliciti sunt de temporalibus & terrenis, quam de spiritualibus & celestibus, magis de illis quae hanc vitam brevem continent, quam de illis quae spectant ad aeternam. Si Dominus dixisset: Laborate, & solliciti estote de rebus terrenis & humanis, secuti autem estote de celestibus, illa enim vobis daturus sum, non mirum si homines, adeo solliciti incumbere in curam rerum terrenarum. At è contrario dixit Dominus: Quaerite caelestia, & terrena dabo vobis: cur ergo nituntur contra Domini monitum haec curando anxie, illa negligendo vel postponendo impie?

Verè de his possumus dicere quod filii sint Esau, filii terrae, non filii Iacob, filii caeli, & filii promissionis, Quid ita? Adverte benedictionem à Patre datam Isaac, adverte & illam quae Esau postea data fuit. Observat enim subtiliter Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 24. utriusque benedictionis structuram, nostro opportunam proposito. Benedictio Isaac sic habet: Det tibi Deus de rore caeli, & de pinguedine terrae abundantiam. Benedictio autem Esau sic habet: In pinguedine terrae, & in rore caeli desuper erit benedictio tua. Eadem videtur benedictio, quia utrobique ros caeli, & pinguedo terrae promittitur, multum tamen differens est, quia in priori benedictione ros caeli primo loco promittitur, in secunda est iaverso, nam pinguedo terrae primo loco ponitur, deinde ros caeli. In benedictione ergo Iacob prius caelestia promittuntur, deinde terrestria, quia illa prius quaerenda sunt, haec posterius, docetque nos Christus postulare prius gloriam Patris, & sanctifica-

tionem nominis eius, adventumque regni, quam panem nobis necessarium. In benedictione autem Esau invertitur ordo, & prius pinguedo terrae nominatur, quam ros caeli: quia scilicet & filii Esau, sive terrena & filii hominum, invertunt Dei ordinem, & plus cordi habent terrena quam caelestia. Videndum igitur ut non simus de horum numero, sed de his qui semen sunt Iacob in promissione. Circa Iacob, aut Tertullianus, qui posterioris populi figura est, id est nostri, prima promissio caelestis est rosis, secunda terrena optimis. Nos enim invitamur primo ad caelestia, cum à saeculo avellimur, & ita postea invenitur terrena etiam consecuti.

Tertio, dum dicit Dominus: Quarite regnum Dei, hac voce vult animum nobis erigere, dum gratia Dei promittit regnum adeo sublimè, quaerentibus illud, quid exilud, vult animum nos habere regium, non ferre, vult, non vilem. Regnum igitur ideo nominat, ut sciamus nos ad sublimia genitos, ad sublimem dignitatem & felicitatem; ita ut infima, & vilia à nobis despicienda sint, caelum regnumque Dei suscipiendo. Abjicere Dei habitum servitutis, qui se Regem credit consecratum divinitus. Quis deridit, quis de vestitu, quis de plebeo censu, & vernalis cepitis vilitate suspirat de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui elevatus ad summum ipse se ad humilia deiecit, ad egenam deponit, inquit S. Chrysol. ferm. 25. Non debet servire Mammonae, qui regnum Dei vult possidere. Non debet pro vestimento corporis nimis anxius esse, qui immortalitatis gloriam sperat induere. Cum vero regnum Dei momentum primum quaerere, meminisse debemus in sacris litteris triplex regnum Dei esse. Vnum dicitur esse circa nos. Istud regnum est Ecclesia praesens, quae regnum Dei dicitur, quia in ea regnat Deus per specialem providentiam & fidem, & in illa sola sunt filii regni. Huic regno per fidei vinculum semper nobis est adherendum, quia in hoc consistit salutis initium & fundamentum. Aliud regnum Dei dicitur esse intra nos: hoc est regnum gratiae, quia per gratiam sanctificantem, & per dona ei adnexa Deus regnat in anima nostra. Tertium regnum Dei est supra nos. Et istud est regnum gloriae, regnum aeternitatis, regnum saeculorum, ad quod suspiramus, quod inatigabiliter oportet quaerere. Quarite, inquit, quartum primum regnum Dei, regnum illud aeternum in quo cum Deo regnabitis, in eo omne bonum perfectum & plenum continetur, quia ubi indigentia nulla, nullus boni defectus: sed quaerite etiam regnum gratiae & fidei, per quae regnat in vobis: regnum enim gratiae tamquam via docet ad regnum gloriae. Ideo adjicit Dominus: Quarite regnum Dei, & iustitiam eius, scilicet Dei: Haec est iustitia quam nobis praecipit, cum legem suam nobis dedit, cuius normam sequentes iusti reddimur & sancti: Iustitia igitur & gratia iter est, & scilicet.

Triplex est regnum Dei. 1. Circa nos. 2. Intra nos. 3. Supra nos.

Sup. 2.

Psal. 106.

Prapostera quorumdam sollicitudo.

Gen. 27.

regno i. quid dicit.

regno i. quid dicit.

regno i. quid dicit.

regno i. quid dicit.

regno i. quid dicit.

Sup. 28.

& scala per quam nobis ad regnum Dei ascendendum est, & pertingendum. Sicut & de Iacob dicitur. *Ostendit illi regnum Dei*, quia ostendit illi scalam ad regnum pertingentem, cuius cacumen caelum tangebat, sic etiam Dominus hic nobis ostendit regnum Dei, simulque ad illud scalam indiget iustitiam scilicet. Illam Iacob scalam ascendebant Angeli: hanc quam Dominus ostendit, ascendunt homines similes Angelis, quia qui colunt iustitiam, Angelis sunt similes, & maxime illi qui est terrena sollicitudine expediti in caelestia corde & voto ascendunt. Hanc ergo iustitiam quaerere decet ante omnia, ita ut Christiano primam diem opus sit Deum quaerere, Deum pro animi sanctificatione & iustitia orare, ad hunc scopum Missae sacrificio interesse, omniaque opera diei ad hanc iustitiam vel augendam vel conservandam ei offerre. Denique decet vespertino tempore secum acta diei recensere, & videre num quippiam huic sanctificationi vel iustitiae adversum sit in diurno opere. Sic dicendum cum Rege Davide. *Deus, Deus manus a te de luce vigilo*. Et iterum: *Si introiero tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domini*.

Erat. 69.

Erat. 131.

Postremo cum dicit Dominus. *Ei haec omnia adjiciuntur vobis*, id ipsum habet suum pondus, notant enim SS. Patres non dici, *Dabuntur vobis*, sed *adjiciuntur*, sive apponuntur, ut scilicet diceremus, inquit S. Chrysostomus, horum quae in praesenti dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudini comparantur. Sic ergo corporalia non sunt quaerenda propter se, nec à Deo donantur tanquam per se bona, sed veluti apponuntur & adjiciuntur bonis animi, & propter bona animi conferuntur, illorum velut additamenta. Sicut eminentibus res pretiosas gratis aliquid quandoque adjicitur rei vilioris, quod mantilla dici potest vel additamentum: sic se habent bona temporalia respectu aeternorum, & ideo de illis hic dicitur. *Adjiciuntur vobis*. Non ab similibus interpretatur S. Gregorius in Iob. lib. 15. cap. 21. *Si magis Dominus quam ea quae condidit, vult amari, aeterna potius quam terrena polulari, sicut scriptum est, Quae sunt primum regnum Dei & iustitiam eius, & haec omnia adjiciuntur vobis, Quia enim non ait, Dabuntur vobis, sed adjiciuntur, profecto indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione aeternitas, in usu debet esse temporalitas, & illud datur, & hoc est abundantius superadditur.*

Exemplum regnum Dei quae ventium est à Deo solo non deservit.

Exemplis autem variis haec Domini conclusio facile probari potest, tum ex sacris litteris, tum ex iustorum Ecclesiasticis. Sic quia Danieli regnum Dei quaerebat ante omnia & iustitiam eius, non ei deest Dominus, sed cibus divinitus ipsi procuratur, & inter bestias esurientes & parcentes homo Dei pascitur. Similiter & Elias Corvi & Angeli ministerio in deserto alitur.

Nuquam ergo tibi deest Deus, tu illi noli deesse, tu illi noli deesse, inquit S. Aug. in Psal. 39.

Sic vidua Sareptana quae quaerebat ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, non deservit etiam ad angustiam extremam redacta. Dicebat enim, *Non habeo nisi pugillum farinae, et colligo duo ligna*. 3. Reg. 17. *ut faciam mihi & filio, & comedamus, & moriamur*. Accedit vero Elias, petit ibi de illa farina cibum, promittens abundantiam, illa fides verbo Dei & Prophetae, abicit & coquit ei panem, nec jam meminit mortis. *Nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, & esurientibus liberis aliter prius pascitur, neque in penuria & fame cibum antequam misericordia cogitatur, ut dum in opere salutari vita carnalis contemnitur, spiritualiter anima servetur*, inquit S. Cyprianus lib. de opere & Eleemolynae.

Sic Tobias quaerebat primo regnum Dei & iustitiam eius, ideo Deus eius providet familiam, providet filio eius Angelum, qui iter cum eo ineat ad recuperandam pecuniam qua possit familia sublevare, & filius honestari, seu ditari secundum honestatum status sui. Providet denique filio eius nuptias, & sponfam correspondentem humori & amoris sancto. Quid ultra. Cum pius senex Domini clausus ageret, oculis orbis nullum gaudium admitteret, qui caeli lumen videre nequirit, providet etiam ei per Angeli ministerium pro cecitate medelam, & integram restituit sanitatem & iucunditatem. Sic nihil deest Tobiae Deum timentem, quaerenti regnum Dei & iustitiam eius, sed omnia adjiciuntur ei & abundant super omne eius votum & expectationem, illucque pro ipso divina attingit sollicitudo, quo pertingere non poterit humana omnis providentia. Sciebat nimirum Pater caelestis quia his indigeret, nec voluit ei deesse, cum ipse per pietatis obsequium caelesti Patri suo non deesset.

Sic in sacris Ecclesiae novae hystoris innumera reperies exempla eorum qui à Domino in solitudine sine sollicitudine cibum acceperunt, eis cura Patris caelestis providente de necessariis. Notum est de S. Paulo Eremita, cui corvus dimidium panem quotidie afferebat, & palma velitem praebebat, quam purpuris Regum praeferebat S. Antonius, illa utens solemnibus Pascha & Pentecostes diebus. Notum de Cervia lac sufficiens praebente S. Aegidio, de S. Alexio, de Maria Aegyptiaca, & innumera aliis quibus admirabiliter provivum fuit, quia quaerebant regnum Dei & iustitiam eius, & fidebant eius verbis sine anxia sollicitudine.

Circa annum 220. cum adhuc viveret S. Dominicus, erant Romae in Conventu S. Sixti centum Religiosi ex eleemolynis viventes sine redditibus. Contigit autem ut nec panis esset, nec pecunia domini, & qui eleemolynas petierant per urbem, vacui redibant: unicum enim panem acceperant, & hunc pauperi dederant instantes urgenti. Iussit nihilominus S. Dominicus pro more ad prandium pulsari. Mox ubi omnes accubuerunt, ingressi sunt duo Angeli

Angeli cum magna copia panis albi, & à minoribus initio facti, singulis dederunt unum panem, si que disperant. Vas quoque vacuum optimo vino statim adimpletum fuit; sic de anima & provisione celestis omnes Dei famuli cibum potumque acciperunt, qui ab hominibus deserti videbantur. Sciebat igitur Pater celestis eos his indigere, nec volebat nimis anxios esse; tanquam volatilia cœli pascebat, quia nulla eis alia cura erat, quam oratione in cœlestia volare, Dei regnum querere & iustitiam eius. His similia crebro facta sunt etiam apud alios Religiosos, apud Franciscanos & antiquos Monachos, ut ex eorum notum est historis.

Concludendo dicamus, ex dictis satis colligi posse, cur nonnulli in operibus suis solertes & diligentes nihilominus inopia premantur, & rei familiaris defectu laborent. In primis id plerumque fit quia non querunt primum regnum Dei, non referunt in Deum omnia opera sua, omnemque laborem in eum fiduciam non projiciant. Fidunt enim vel viribus, vel industria, vel diligentia suæ, non ita Deo, cuius raro meminerunt. De his ut diximus,

alibi, potest intelligi illud: *Immolabis sagena & sacrificabit reti suo, quia in ipso inersata est pars eius, & cibus electus eius.* Vbi videtur iudicare Prophetam quosdam sic se gerere, quasi retia & sagemam suam adorarent, quia per illa cibum sibi & familie parant; si que illa pro Deo habent qui illos alit, videnturque quadam ratione illis velle sacrificare, & totam in ipsis fiduciam collocare. His ergo similes dicimus illos qui in arte sua nimium fiducia ponunt, aut in industria humana. Sic nec piscator in reti, nec pictor in penicillo, nec faber in suis instrumentis, nec rusticus in ligone & falce, nec villicus in equis ac vaccis nimium debent confidere, quia sepe falluntur, nec sufficientes per illa sibi provident, Deo aliter disponente, qui vult nos regnum suum ante omnia querere, & in ipso fiduciam constituere, non in nobis, nec in qualibet humana arte.

Refert Pinellus in libro de Missa de duobus satoriarum artis, quorum uni quotidie Missæ sacrificium audienti omnia codebant ex animi sententia, & superabant familia quæcumque necessaria, licet multas proles aleret: alteri vero etiam nulla proles alenda foret, nullique labori parceret, ut nec festis quidem diebus vacaret, multum inopia semper aderat. Quæsit igitur à confodali suo, unde illi tanta prosperitas? Ille respondit: Cras mecum veni, & ostendam tibi. Venientē postero die secum ducit ad Missam, qua finita remittit eum ad laborem. Secunda idem die idem facit, nec socio satisfacit. Cum tertia die idipsum cogitaret, respondet alter: *Amice novi ego viam ad templum, & Missam non ignoro, hoc ex te quæro, unde tanta tibi prosperitas?* Tum alter: *Ex Missa hac mihi provenit secundum præmissum Domini: Quarite primum regnum Dei, & omnia adjicientur vobis.* Pauperior ille hoc Christi Rational. Evang.

accutius considerans, statuit apud se deinceps non omittere obsequium Dei maxime in quotidiano sacrificio, & exinde ipsi prospere omnia successerunt.

Secundo non querunt multi iustitiam Dei ante omnia, & ideo prospere eis non succedit. Lucrum querunt qua possunt ratione & via, quandoque etiam injusta: Dicunt ipsi; *Vbiq; bonus odor lucri:* nec attendunt quod frequenter contingit: *Lucrum in arca, damnum in conscientia.* Dum ergo temporalia quacumque ratione sectantur, illis Deus adverterat ob neglectum conscientie spiritualium bonorum, siue iusticie Dei. Si eis de confessione fit mentio, de communione, de verbi divini auditione, excusant se prætextu negotiorum, in aliud tempus rejiciunt, quasi Deus eorum opportunitatem expectare teneretur. Hinc fit ut per Dei providentiam adversa fortunæ crebro subiaceant & premantur.

Tertio propter hominum luxum & abusum, superbiam & arrogantiam reprimendam, Deus quandoque subtrahit temporalium abundantiam, & immittit egestatem. Solent enim aliqui dum abundant, in luxu & lusu prodigè opes fundere, alii & illis solent intumescere, alii aliter illis abutitur: ideo illas Deus avolare facit. Fit & id maxime propter hominum ingratiudinem, qui acceptis privari merentur, dum de illis non norunt gratias agere, nec in Dei obsequium, aut in pauperum usum partem impendere. Denique, vult Dominus ut agnoscamus hæc temporalia ab ipso pendere, qui ea dat cum vult, tollit cum lubet, nostrosque conatus esse cassos ipso nobis non cooperante vult nos agnoscere.

Impertire nobis Domine gratiam tuam, ut tibi sincero corde serviamus, & non Mammonæ; tolle à nobis nimiam sollicitudinem de cibo & veste, & da nobis fiduciam in te tamquam celesti nostro Patre, qui scit perfecte ea quibus indigemus. Recense nos non de animalibus quæ terram sapiunt, terram fodiant, terram diligunt, sed de volucris & volatilibus cœli, quæ ad puriorem ærem respirant, celum amant & cœlestia, & tu tua eos pascis benignissima providentia. Fac nos de liliis & floribus agri tui, vestiens non gratia candore, & tandem immortalitatis veste sine anxia nostra sollicitudine. Denique, sic nobis tuum infundere amorem, ut tempus & sæculum cum rebus suis contententes, regnum tuum & iustitiam tuam quæramus toto cordis desiderio, & illud tandem regnum cœlestis, te ducente, te donante consequamur.

Tete

DOM.